

gebantur , quum completum foret aereum illud Mille narium , in terra nova , sive renovata somniatum . Vidimus explosum vel antiquus imaginarium hoc Regnum , quod nunc Theologorum nemo , qui sapiat , non aversetur . Ergo ruant & illius conjectaria oportet . Condonandus hic error , dum aliquamdiu fuerit in S. Hilario , qui a deliramentis Cerinthi , aut ab ineptiis Papiæ , alienum saltemi se prodidit , eamque opinionem non uno titulo emollivit . Verum qui illius hac in re autoritate uti velit , inani prorsus suffragio utatur , sive , ut melius dicam , abutatur . Numquid gemmæ sunt , quæcumque in Libris priorum Patrum occurrant ? Ea solum aut amplectenda , aut non improbanda , quæ aut consentientem , aut non repugnantem habuerunt , & habent cœtum aliorum Patrum , & præsertim Ecclesiæ . Quos autem magistros in hac opinione Hilarius habuerit , satis patet : Irenæum videlicet ac Tertullianum . Jam cap. ix . vidimus ab Irenæo legem impositam Animabus , simul atque e corporeis vinculis abeunt , descendenti ad Inferos , eo quod illuc & ipse Christus Dominus descenderit . Sed & Tertullianus idem sibi fixit in Lib. de Anima cap. iv . inquiens : *Quod si Christus Deus , quia vero homo , mortuus secundum Scripturas , vero sepultus secus easdem , huic quoque legi satisfecit , forma humanae mortis apud Inferos fuitus &c.* Idem a S. Hilario repetitum habemus , quanquam is minime decernat , quanto tempore in Inferis Animæ sint detinendæ . Porro quam fluxa , quam nulla sit vis hujuscce argumentationis , & hujusmodi legis imaginatio , satis supra monuimus . Secundo , animadvertendum est , adversus Burneti systema non una ratione Hilarium ipsum decertare . Scilicet ille , sive quia ad Millenarios nunquam accesserit , sive quia ab ipsis recesserit , se plerisque alii in locis prodit Catholicorum sapientiorum sententiae addicitionis . Non præmia tantum Justis , sed & Injustis poenam differt Burnetus usque ad Resurrectionem , & supremum Judicium . Contra Hilarii sententia fuit , nullam intercedere moram inter Improborum mortem , eorumque poenam . En eius verba Tract. in Psalm. ii. sub finem . *Excipit nos Statim Infernus : vero decedentes de Corpore , si ita vixerimus , de via recta perimus . Tentes nobis Evangelicus Dives vero Pauper ; quorum unum Angeli IN SEDIBUS BEATORUM , & IN ABRAHE SINU lavaverunt ; aliud STATIM POENÆ REGIO suscepit . Adeo autem STATIM POENA Mortuum exceptit , ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent . Nihil illuc dilatioris aut moræ est . Idem ab eo repetitum videoes Tractat. in Psalm. cxxii. num. ii. prope finem . Præterea Tractat. in Psalm. lvii. num. 5. scribit : *Neque enim suspenso adhuc Judicii tempore quiescere Peccatores sine Pena erat dignum , Viventes itaque eos cum Penæ scilicet sensu absorbet Ignis , ANTEQUAM RESURGANT . Ergo testem sibi adversantem Burnetus inducit . Statuta autem Poena Iniquorum , consequitur ex vi Theorematis Primi , a nobis positi cap. vi. præmia quoque Proborum Animabus non esse differenda . Legem hanc divinas bo-**